



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Gallia Vindicata, In Qua Testimoniis Exemplisque  
Gallicanæ Præsertim Ecclesiæ, Quæ Pro Regalia, Ac  
Quatuor Parisiensibus Propositionibvs A Ludovico  
Maimburgo, Alijsque producta sunt, Refutantur**

**Sfondrati, Celestino**

**[Ort nicht ermittelt], MDCLXXXVIII.**

2. Mandatum Ejusdem contra eos, qui vi Regaliæ beneficia obtinebant.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38277**

## Documentum II.

Mandatum Illustrissimi & Reverendissimi Domini Nicolai Pavillon Episcopi Alectensis contra eos, qui obtenu Regaliæ Alectensis Ecclesiæ Beneficia occupabant.

Nicolaus DEI miseratione Episcopus Alectensis, Charismis & Dilectissimis Fratribus Ecclesiæ nostræ Cathedralis, & Collegij S. Pauli Canonicis, Archipresbyteris, Rectoribus Vicarijs, aliisque Personis Ecclesiasticis Salutem & Benedictionem. Quoniam ex querelis, à Promotore hujus Dioecesis ad aures nostras delatis intelleximus, quam plures subreptitiè, titulóque Regaliæ, non pauca Beneficia, sive Dignitates illæ sint, sive Canonicatus, tam in Cathedrali, quam in Collegiata S. Pauli Ecclesia obtinuisse, imò conatos insuper esse, ut obtenu dictæ Regaliæ corundem Beneficiorum Possessionem caperent; idque non attento, quod major prælatorum Beneficiorum pars per Canoniam legitimamque Institutionem, jam in alios sit collata; iisque longo annorum cursu pacificâ eorundem Possessiones fruantur; id verò ad manifestam invasionem, & usurpationem jurium Ecclesiasticorum pertineat, ac antiquis iuribus, Canonicæque libertati adversetur Provincia Narbonensis, quæ non solùm cùm proprijs privatisque Dominis serviret, verùm etiam posteaquam imperante Ludovico sancto Coronæ Gallicæ juncta est, nunquam Regaliæ subjacuit; imò ejudem Ludovici, ejusque Successorum Regum patrocinio, antiquas suas immunitates ac jura retinuit; præsertim quoad illa, quæ Regaliam spectant, ac etiam per litteras patentes Philippi Pulchri de Anno 1303, earundem immunitatum ac Privilegiorum confirmationem accedit, & diuturnâ, ac immemoriali possessione libertatem suam.

suam præscripsit; imò quantumvis hujus Provinciæ jura minus firma essent minusque fundata, quām reipsa sint, cui tamen misum novūmque, & haec tenus inauditum non accidat, post sex & triginta annos, quibus huic Episcopatu præesse cœpimus, eoque pacificè totidem annorum cursu potiti sumus, ac omnia Beneficia contulimus, nullo Regaliæ impedimento, eandem Regaliam perinde ac vacante Ecclesiâ in nostra Dioceſi aperiri? Quanto ergo hujusmodi attentata plus habent novitatis, magisque in Ecclesiæ præjudicium vergunt, tanto magis nostrarum partium est, ut illa in ipsis initijs suffocemus, præfertim cùm titulo Regaliæ jam sibi videantur possessionem vendicasse in aliquibus Ecclesiæ nostræ Beneficijs, videlicet, Cimbeliarchatus nostræ Cathedralis, quem Clericus aliquis Tholosanus resignandum sibi curavit Regaliæ obtenuit, ac insuper fructus usurpare conatur, non obſtante Mandato & Interdicto nostro, quo, ne deinceps virtute Regaliæ, securaque Possessionis functionibus illius Beneficij se ingere præſumeret, sub poena Excommunicationis ipſo factō incurrendæ diſtriictè prohibuimus. Alterum Beneficium est, cui cùm à sua fundatione cura animarum annexa sit, habeatque aliquos Parochianos, quantumvis parvo numero subjectos, jam tamen per aliquot annos à Persona laicæ conditionis possellum est, & ab hac ad aliam transiit, ne nomine quidem notam. Quæ omnia, niſi remedio aliquo opportuno corrigantur, necesse tandem eſt, ut in maximum Ecclesiæ, dictorūmque Capitulorum, ac Dioceſeon damnum & confusionem redundant. Quæ cùm ita ſe habeant, præfatus Dioceſis nostræ Promotor instanter rogavit, ut ad hunc effectum auctoritatē nostram interponere dignaremur.

Nos ergo precibus ejusdem Promotoris permoti, &  
præ-

Gallia  
indicata  
G III  
230

192 Dislert. I. § VIII. Documenta ex Gallico

præsertim hujusmodi Regalistarum injustis conatibus obviare, ijs verò, qui de præfatis Beneficijs canonice investiti sunt, ne quidquam molestiæ patientur, prouidere cupientes, ac insuper, quantum in nobis est, ac juxta obligacionem nobis ex Divinæ Legis, sacrorumque Canonum præscripto impositam, jura & libertates Ecclesiæ nostræ illibata conservare; Capitulis Ecclesiæ nostræ Cathedralis, ac Collegiatæ S. Pauli iterum inhibemus, prout jam alias inhibuimus, ne quemquam eorum, qui subreptitiè, ac prætextu Regaliae Collationes, aut nominationes impetrarunt, in præfata Beneficia recipiant, in chorum, aut capitulum, aliasve functiones eorundem Beneficiorum admittant, sub poena suspensionis, quam ipso facto incurvant, quicunque ad hujusmodi receptionem aut installationem auxilio, aut consilio, aut alio quoquinque modo cooperati fuerint. Ipsis verò, ita ut præactum est, Provisis, ne se dictis Beneficijs ingerant, sub poena Excommunicationis ipso facto incurrendæ. Omnibus etiam Personis Ecclesiasticis æquè prohibentes, ne quoquinque modo hujusmodi, ut præfatum est, Provisis, consilium, aut auxilium præstent in capiendo Possessione, idque sub poena suspensionis æquè ipso facto incurrendæ. Mandamus etiam Sacerdoti, ad quem notitia istarum primò pervenerit, aut alias cuicunque Clerico consurâ insignito, ut omnes actus, aut alias quidquid ad hujus Mandati nostri promulgationem necessarium fuerit, diligenter expediat, aut expediri faciat. Datum Alecti in nostris Ædibus Episcopalibus die 5. Martij Anno 1675.

(L.S.)

Nicolaus Episcopus Alectensis  
*& infra*  
Ad Mandatum Illustrissimi  
Mercier.

III.